



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II. Japoniarum I. Apostoli

Nevhvsii, 1689

Annus quintus. Christi MDXLVI. Xaverii XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43989

V. Pellaci ad sacramēta studeatur industriæ.

VI. Peccatores materna expugnet suavitas.

VII. Animorū cura & liberalis sit & gratuita.

VIII. Labores charitas condiat & oratio.

IX. Excitet ad ardua, ab indignis revocet
vocationis memoria.

X. Crebrum deniq; litterarum commerciū
membra capiti, Europæ Asiam conjungat.
Ecce operarii apostolici!

Apostolus Xaverius ostendit vobis pactum
quod præcepit ut faceretis, & *decem* verba,
quæ scripsit in Tabulis. Deut. 4.

Annus quintus.

Christi M D X L V I.

Xaverii X L I X.

Hucusque Amboinus anni hujus libat primi-
tias, ubi irrequietus apostolicis sudas labori-
bus, Xaveri, & indefessâ ferves in advectam illuc
sub Ferdinando Sosa agram classē charitate. Hic
Tuum Tibi Jesum mari placando immissum reddit
Cancer marinus. Tum Molucas, ut aromatis ita
vitii fertiles, & Ternatem in primis Insularum
caput purgare suavi illâ Tuâ efficaciam insistis, &
magnum



*magnum auferis laboris fructum Isabellam Molu-
carum Reginam Christo vendicatam. Mox ad
Mauricam, cui omnia pene absunt vitæ subsidia,
adsunt pericula & incommoda omnia, à terra, cœ-
lo, feris, hominibus, in victâ ac pertinace constan-
tiâ eluctaris, Deo subigis prope demonas, atque in
una Tolo millia capitum viginti quinque unus orci
eripis potestati: liquidissimis interim in regione
incultissimâ, si unquam aliàs cælo sese super infun-
dente, delitiis redundans, ut vel hinc insulas has
ad perdendam ex jucunda lacrymarum ubertate
oculorum aciem appositas assereres. O vel guttam
effluentis Tuae voluptatis in pumices nos & saxa,
in terram desertam & aridam & in aquosam
deriva!*

Decem Reges Decennii Apostolici labore
per Xaverium

Christo Regum Regi subjecti.

Reges expugnare incipis anno hoc,

Regii sanguinis Apostole:

I. Agmen Isabella ducit Molucarum Regina
(nam ut in miseriam pravi, ita boni in salutem
exempli dux est foemina)

II. Sequitur subin Rex Maurus Travancoris;

III. IV. Et gemini gentiles Ceilani Reges;

V. VI. Re-

V. VI. Reges Nuliagri etiam & Ulates

Barthol. in vitâ l. 4. n. 65.

Vicinarum Amboino insularum Domini.

VII. Tum Maldivarum

(insulæ sunt undecies mille)

Rex Mahometanus, Manuelis à Te insignitus
nomine.

VIII. Celebis præterea Rex,

cum fratre Principe, labor tuus est.

IX. Tuus est labor rex Tanoris

ac Rosolai Tyrannus:

hic Francisci à Te, ille à Lusitano Rege Joānis
est nomen mutuatus.

Atque ut tot regum non memorem confe-
ctarios, *aut Conjuges, aut liberos, aut clientes*
purpuratos.

X. Tuus est Franciscus ille Bungi Rex,

Ille pientissimus, Japonicæ Ecclesiæ

basis & columen,

quem vivens disponis, mortuus permoves

(post tres annorum decades)

ad Christi religionem.

An temerarius ero,

si dixerò hæc decem cornua,

Qui decem reges sunt?

Dan. 7.

ANNUUS